

AD LECTOREM.

culo octavo *Ζηυσσοποιητικῆς* fama celeberrimus extitit Geber Arabs, qui prolixo quidem volumine hanc artem diffudit, tantis autem obscuritatibus omnia involvit, ut lectores suspensos magis, imò inani ferè spe delusos abs se dimittat. Propius à nostra ætate abfunt, quippe quem sec. 13. tulit, Raymundus Lullus, ex insula Majorica oriundus, cui debemus inventionem spiritus vini, Arnoldus Villanovus, Bernhardus Trevisanus, Robertus Vallensis, & quos superius seculum dedit Philippus Aureolus Bombastus Paracelsus, dictus Theophrastus, natione Helvetius, Libavius cum multis aliis, qui omnes hac de arte scriptis suis studia sectatorum quidem erexerunt, sed tot involucris texerunt, tot ænigmatibus incluserunt, tot noviter confectis & nemini nisi solis autoribus notis vocabulis illam tradiderunt, ut sibi solis quoque scripsisse, & naso, quod dicitur, suspendere lectores videantur. Facere non possum, quin adscribam locum Joannis Leonis Africani, quem in Africa, ut illa se habuit ante hos centum & quinquaginta annos, (tum enim sub Leone X. Pontifice Romæ vixit hic scriptor) descriptione, cum ad historicam cognitionem ejus, de qua agimus, artis faciat, de Alchymistis Fessanis his ferè verbis habet: Est, inquit, in urbe Fessana magna Alchymistarum frequentia, qui vanissimæ huic arti insignem navant operam. Sunt verò stupidissimi homines, qui que sulfure & aliis foetidis odoribus sese contaminant. Serotina hora usitato more solent in summum templum convenire, ubi falsas suas opiniones disputant. Habent autem ejus artis multa opuscula à doctis viris conscripta, inter quos potiore locum habet Geber, qui centum annis post Mahumedem vixit, quem natione græcum ajunt fidem abjurasse. Hujus opus, universæque præceptiones allegoriis refertæ sunt. Habent & alium quendam autorem, qui de hac arte ingens edidit volumen, inscriptum Attogrehi. Hic Bagadedæ principi à secretis fuit, de quo in vitis Philosophorum Arabum scripsimus. Scripsit quoque ejus artis cantica sive articulos Mugaribus quidam Granatensis, quem commentatus est Mammaluccus doctissimus, patria Damascenus, sic tamen ut multò facilius textum, quàm commenta-

menta.